



Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem Sancti Thomæ Tomvs ...

Complectens Quæstiones à XXVII. vsque ad LXIV. & à Quæstione CVI.
vsque ad CXIV.

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1620

Nec gratiam, nec vllam formam accidentariam, aut substantialem, quæ
natura sua pendet à subiecto vel à materia creari aut concreari
authoritate probatur. c. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81000](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81000)

Ad primum ergo dicendum, quod cum dicitur, prima rerum creatarum est esse, ly esse, non importat substantiam creatam, sed importat propriam rationem obiecti creationis. Nam ex eo dicitur aliquid creatum, quod est ens, non ex eo quod est hoc ens, cum creatio sit emanatio totius esse ab ente vniuersali, ut dictum est. Et est similis modus loquendi, sicut si diceretur quod primum visibile est color quamuis illud, quod proprie videtur, sit coloratum.

Ad secundum dicendum, quod creatio non dicit constitutionem rei compositæ ex principiis præexistentibus: sed compositum sic dicitur creati, quod simul cum omnibus suis principiis in esse producit.

Ad tertium dicendum, quod ratio illa non probat quod sola materia creetur, sed quod materia non sit nisi ex creatione. Nam creatio est productio totius esse, & non solum materiæ.

CONCLUSIO est. Creatio proprie est substantium; forme vero quæ in alio natura sua necessario sunt, proprie non creantur, sed concreantur. Veritas huius conclusionis, & tota articuli materia sequi disputatione examinanda est.

DISPUTATIO CLXXIV.

An creatio sit tantum substantientium.

Gratiam & dona supernaturalia in nobis creati, multi Scholastici existimant. cap. 1.

Neque gratiam, nec ullam formam accidentariam, aut substantialem, quæ natura sua pendet à subiecto, vel à materia, creati aut concreari auctoritate probatur. cap. 2.

Ratione confirmatur præcedens opinio. cap. 3.

Corollaria præcedentis doctrina. cap. 4.

CAPVT I.

Gratiam & dona supernaturalia in nobis creati, multi Scholastici existimant.

Tamet si certum sit apud Scholasticos, nullam formam naturalem, aut accidentariam, aut substantialem, quæ suapte natura, ut sit, pendet à materia, produci per creationem sibi propriam: de gratia tamen, & omnibus donis supernaturalibus omnes antiqui Scholastici, qui de hac re mentionem fecerunt, existimant, non alia productione sibi propria, quam creatione produci. Sic expresse docuerunt Alex. 2. p. q. 9. mem. 8. Bonauent. in 2. d. 26. art. 1. q. 4. & in 4. d. 1. art. 1. q. 4. Ricard. in 2. d. 26. art. 1. q. 2. & in 4. d. 1. art. 1. q. 2. Scotus in 4. d. 1. q. 5. Contra istam opinionem. Gabr. q. 1. art. 2. conclus. respons. ad argum. Capreol. in ead. d. 1. art. 2. in cens. in 4. q. 1. art. 2. Maior in 4. d. 1. in 4. argumento, 110. artic. 2. modum loquendi Caiet. sequi videatur. Dominicus Sotus lib. 2. de nat. & grat. cap. 9. Vega lib. 7. super Concil. Trident. cap. 13. Ledesma 1. p. 4. q. 3. art. 1. Ferrarionis 4. contra gentes, cap. 57. quibus ex sequitur in 1. p. som. 2.

parte consentiunt Paludanus in 4. d. 1. q. 4. 1. n. 28. & Caiet. 1. 2. q. 1. 10. art. 1. circa solutionem tertij, & quæst. 1. 2. artic. 1. cum asserunt, gratiam non creati, sed concreari, hoc est, non posse alia productione, quam creatione produci, aut comproduci: nam ceteri absolute affirmant, creati.

Fundamentum huius sententiæ, quatenus asserit, gratiam creati, est, quia à solo Deo producit, sicut anima rationalis, & ex nihilo; eo quod nec in homine merita præcedunt, nec vlla naturalis potentia ad talem formam, de qua dicitur educi, oppositum namque videbatur illis cum errore Pelagij conuenire; quocirca pro eodem reputant, gratiam esse qualitatem à solo Deo infusam, & ab ipso creatam. Adde loca Scripturæ, quibus homo dicitur creati in gratia, quæ retulimus quæst. 173. c. 1. Caiet. vero & Palud. cum viderent, ex sententia Sancti Thomæ in hoc art. 4. creationem solum esse substantientium, dixerunt gratiam non creati, sed concreari: hominem autem gratiam creati: id quod hac ratione probabile sit: Quamuis productioni gratiæ supponatur anima & homo, qui sit gratus; qui tamen id, quod gratiam ipsam præcedit, & ei ut subiectum comparatur, secundum se totum à Deo continuo conseruatur, quod est creati: continua enim totius esse conseruatio, productio quædam de nihilo est, ac proinde creatio: ideo totus homo gratus creatur, & gratia cum illo, quod appellant Caiet. & Palud. gratiam concreari: veluti si equus crearetur, anima illius concreari, non autem creati diceretur: tum etiam cum Angelus in primo instanti secundum substantiam, & in gratia productus fuit, gratia illius fuit concreata simul cum natura: ut autem nunc etiam dicatur in anima gratia concreari, nihil ob stare videtur, quod anima tempore præcesserit: quia continuo à Deo ex nihilo producit eodem modo, quo in primo instanti. Si ergo in primo illo instanti gratia crearetur, nunc etiam quocumque tempore creati diceretur.

CAPVT II.

Neque gratiam, nec vnam formam accidentariam, aut substantialem, quæ natura sua pendet à subiecto, vel à materia, creati aut concreari auctoritate probatur.

Si recte inspiciamus definitionem creationis Prima conclusio. disp. 173. à nobis explicatam, facile conicere licebit, multo esse probabiliorē oppositam opinionem, quæ vniuersim adstruit, neque gratiam, nec ullam formam accidentariam, aut substantialem, quæ natura sua pendet à subiecto, vel à materia, creati, aut concreari: sed peculiari actione educi de potentia materiæ. Id quod non solum verum existimo, quoties gratia posterius tempore, quam subiectum, incipit esse, vtrum etiā quando simul cum alio incipit. Quod attinet ad alias formas, præter gratiam nullam apud Scholasticos mentionem inuenio: sed ex ipsa natura, & definitione creationis id, quod dixi, sequenti cap. confirmabo. Quod vero spectat ad gratiam, & dona supernaturalia, auctoritate S. Th. eam non creati, probatur.

Primum quia 1. 2. quæst. 1. 10. artic. 2. ad tertium docet, nullum accidens proprie corrumpi, vel fieri; quia non est ens, sed entis ens: sed fieri, aut corrumpi, secundum quod subiectum incipit, vel desinit.

h. 2.

finis

4. D. Thomas.

finis esse actus per illud. Et hac eadem ratione dicit S. Th. gratiam non creari, quia est forma accidentaria, nisi ex eo quod homines dicuntur secundum ipsam creari, hoc est, in nouo esse constitui ex nihilo, hoc est, non ex meritis. Quibus verbis primum plane negat, gratiam creari, quia eius esse est, inesse, sicut aliarum formarum, atque aperte indicat, ipsam educi de potentia innata ipsius animæ, sicut alia accidentia de potentia subiecti. Deinde negat etiam, gratiam concitari, contra Caeteran. & Palud. quia illud, ex nihilo, sic explicat, ut non excludat quodcumque genus entis, ex quo gratia fieri dicatur, sed merita: atqui præcedere merita, aut non præcedere, nihil interest ad rationem creationis naturalis, sed moralis tantum, de qua diximus qu. 173. cap. 1. sentit igitur, gratiam non concitari. Cum enim in definitione creationis dicitur, *de nihilo*, non excluduntur merita propria, aut aliena, sed aliquid pertinens ad constitutionem, & esse naturale rei productæ. Quis enim non videat, merita moraliter tantum comparari cum re producta naturaliter, aut nihil conferre. Ex quo etiam constat, testimoniis Scripturæ eo capite primo à nobis allegatis, sententiam Caier. & aliorum superius memoratam non probari, ut ibidem explicabimus.

Præterea ex doctrina eiusdem S. Th. iuxta multorum Thomistarum intellectum idem colligitur: ipse namque S. Th. putat art. seq. nullum posse assumi instrumentum (physicum intelligit) ad creandum: atqui ipse 3. p. quæst. 62. art. 1. ut multi Thomistæ existimant, asserit, sacramenta nouæ legis esse instrumenta gratiæ. Physica: ergo sentire non potuit, gratiam in anima creati, aut concitari, sic enim in instrumentum assumeretur ad creandum. Nam etiam si ipsa gratia concitaretur, & sacramenta ad illam comproducendam operarentur, deberent quotque ad creationem totius, quæ simul gratia ipsa creatur, concurrere.

Verum Dominicus Sotus, Palud. & Capreolus ut suam sententiam tueantur, simulq; cum S. Th. defendant, sacramenta nouæ legis esse instrumenta Dei in gratiæ productione, quædam effugia excogitarunt. Primum Dominicus Sotus loco citato, & in 4. dist. 1. q. 3. art. 1. asserit, gratiam quidem vna actione à Deo solo sine ullo instrumento creati, alia vero actione per sacramenta, tanquam per instrumenta, animæ vni, & hanc unionem non esse creationem, veluti anima rationalis secundum se creatione producit, sed alia actione, quæ est generatio, corpori infunditur, & coniungitur. Hoc effugium Andreas de Vega præcludere molitur loco citato hac ratione. Fieri nequit, ut aliquid agens, aut instrumentum aliqua duo coniungere possit, nisi super utrumque virtutem potentiam habeat, sed humanitas Christi, & sacramenta nullam habent virtutem supra ipsam substantiam gratiæ, cum non attingant illius productionem ex sententia Soti: ergo neque poterunt gratiam cum subiecto coniungere. Ceterum hac ratione Andreas de Vega Dominico Soto viâ sterit potius, quàm occludat. Nam sicut homo virtute generante coniungit animam corpori, cum tamen habeat potentiam: sic etiam fieri posset, ut sacramenta gratiam animæ coniungerent, etiam si circa substantiam gratiæ producendam nullam vim haberent, si nihil aliud obesser.

Effugium Soti præcluditur.

Domi. Sot.

Alia igitur ratione, quam paucis innotuat idem Vega, Dominicus Sotus facilius innotuit, quia productio gratiæ, est productio accidentis: omnis autem productio tribuit esse rei productæ ergo cum esse gratiæ sit inesse naturæ vt subiecti, idem erit, gratiam produci, atque subiecto coniungi. Quare si sacramenta attingunt efficaciter sua instrumentaria esse gratiæ, pertingunt etiam coniunctionem illius cum anima. Paludanus autem & Capreolus, ut defendant suam sententiam, dicunt, sacramenta non producere gratiam, sed qualitatem quandam præstare, quam ornatum animæ appellant. Verum præterquam, quod hæc qualitas sine fundamento ullo, & confecta tantum ad eludendum videtur, facile horum sententia à Soto & Gabriele redarguitur. Nam si ille ornatum est vltima dispositio quam proxime gratia conficitur, debet esse eiusdem ordinis supernaturalis illi, quare illius eadem erit ratio, atque gratiæ, ut sacramenta non possint esse causa illius: & illius productio eodem modo sit creatio, atque gratiæ productio, vel neutra sit, sed vtrique de potentia subiecti educatur.

Denique Caier. & Conradus eo confutari, ut dicant, gratiam non creari, sed concitari, quæ enim putant esse absurdum, aut contra mentem Doctoris sancti, sacramenta tanquam instrumenta assumi ad concitandum, licet ad creandum assumi non possint. Ceterum contra hos quoque non minus efficaces rationes pugnant. Primum quod nihil potest ab aliquo vt efficiente comproduci, hoc est produci simul cum alio productione alius totius, nisi ab eodem etiam totum producat: vel ergo sacramenta efficiunt creationem alius totius, quæ gratia comproducit, vel gratiæ sacramentis non concitatur. Deinde quoties productio totius, non est creatio: productio partium, quæ simul cum eo, & productione illius coniungitur, non erit concitatio: comproductio enim sequitur naturam totius productionis, sed productio hominis grati non est creatio: quia est productio talis esse, ut totius esse, qualis debet esse creatio, ut seq. cap. videbimus: ergo nec comproductio gratiæ debet esse concitatio.

Reliqui authores pro priori sententia allegant cum dicant, sacramenta nouæ legis non esse instrumenta ad producendam gratiam, sed tantum causas sine quibus non produceretur: non possunt vgeri hac ratione, etiam si affirmemus, nullum posse assumi instrumentum ad creandum. Eodem modo nihil habet momenti hæc ratio contra eos, qui dicunt, sacramenta tantum esse instrumenta moralia, in quem sensum explicari potest Sancti Thomas. Quod si Sanctus Doctor intelligi potest de instrumentis moralibus, quando dicit, sacramenta non posse assumi vt instrumenta ad producendam gratiam: eodem modo intelligendum est in hac questione cum ait, non posse assumi instrumentum ad creandum, vt explicauimus disputatione 176. capite 2. & illa ratio præstata sumpta ex autoritate ipsius, recte probat, etiam si sumpta ex autoritate ipsius, recte probat, gratiam non creari: quæ sacramenta assumuntur vt instrumenta saltem moralia ad producendam ipsius. Ceterum contra eos, qui asserunt, recte posse assumi instrumenta ad creandum: prædicta ratio nihil probat. Capite igitur sequenti molentem sententiam ratione efficaciori aduertimus confirmemus.

CAR. III.